Inarimen, Duce te petiit Fridericus, et undam,
Qua medicas ægris artubus addat opes
Ne cessa faustis Francisce insistere cœptis,
Et voti Princeps sit Deus usque sui.

Joannes Paschalis Sparano

Æ. naris ut linphis utare salubribus, Heros,
Loyolidum unanimi Gens petiit usque prece
Id sperare jubent Francisci nixa duobus
Spes Patris hinc, Matris nec minor inde Fides
Saberi Genitor, Nostratis compare voto
Non semel expertam Mater anhelat opem.
Quare agite Æthereà de sede adsitis uterque,
Excidat haud votis Ille, nec Illa suis
Ast utri incolumem Natum debebit uterque?
Utri è tam dubio munere stabit honos?
Lis pulchra, Augustis atque hic Genitoribus error,
Incolumis soboles sit modò, gratus erit.

Saxonides Heros Arctois venit ab oris
Artubus Ænarias combibiturus aquas.
O age da firmos Juveni consistere gressus,
Francisce, et votis quæ tibi promit ades.
Spes ille est Populi clamat Germania, et illo
Nostra salus stabit stante, cadente cadet.